



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et
Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pyrmontani,
Liberi Baronis De Furstenberg**

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

Parisiis, 1684

Alexandro VII. Pont. Opt. Max.

urn:nbn:de:hbz:466:1-7748

44 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.
Ut male neglectas, monumenta perennia, Musas
 Vallius indignis vindicet à tenebris;
Vallius Aonidum post te non parva sororum
 Cura, tibi quondam, nunc mihi primus amor.
Quam pius ille manu fugientes clausit ocellos,
 Et summis animam legit anhelitibus!
Quam pius æternis mandat tua nomina chartis,
 Et damnat lacrymis impia fata suis!
Scilicet erectum sic tristis Naso Tibullum
 Luxit, & Orpheam Calliopea necem.

ALEXANDRO VII.

PONT. OPT. MAX.

*Villam Barberinam, Domitianus olim Cesaris Albanum, ubi quot
annis Quinquatrigia fiebant Minervæ, animi causa invisenti
anno M. DC. LVII. Idib. Maii.*

HIc ubi porticibus se Flavia villa superbis
Æquabat summis ardua sideribus,
Et nemus hinc, Scythicæ non mitia regna Dianæ,
 Illinc Tyrrhenas prospiciebat aquas,
Sollemnes olim ludos, & sacra Minervæ
 Quinque fuit junctos mos celebrare dies.
Quare amat hos colles etiam nunc Diva lacusque,
 Plurima quos glauca vestit oliva coma.
Atque adeo præsens Albæ cum proxima nuper
 Vedit ALEXANDRUM per juga ferre pedem:
Lætus ades, dixit, nostrosque invise recessus,
 Terrarum custos maxime: lætus ades.